



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 5. De circumstantia Quid, seu effectus,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

CAPVT V.

De circumstantia Quid, seu effectus.

S V M M A R I V M.

- 33 D. Thoma doctrina communiter recepta de nocimento aggrauante peccatum.
- 34 Nocentur formaliter intentum auget peccatum, etiam si illud ex hoc non sequatur reipsa.
- 35 Nocentur interpretatiue volitum auget peccatum: non volitum autem absolute, nihil ad illud confert, nisi data sit illius causa, de se efficitur.
- 36 Qualiter de grauitate peccati iudicari debeat ex nocimento secuto: & quomodo ipsum excusetur a pena quoad Deum, non quoad homines.
- 37 Triplex discrimen inter nocentum sibi, & nocentum alteri illatum.
- 38 Quando nocentum nec praeuisum nec intentum sibi illatum, perinde auget peccatum ac illatum alteri.

IN cap. 2 annotatum est, effectum peccati, circumstantiam Quid, constituentem, esse nocentum, quod consequitur perpetrationem peccati. De quo nocimento quatenus aggrauat ipsum peccatum: ita docetur ex D. Thoma 1. 2. qu. 73. art. 8.

33. Nocentum quod consequitur ex perpetratione peccati, vel infertur ipsi met peccati, vel alteri: atque si alteri, vel praeuisum est & intentum formaliter: ut cum quis perpetrat peccatum animo nocendi, vel ut qui surripit artificii instrumenta suae artis, cum intentione impediendi lucrū quod facit ex suo artificio; tuncque certum est pro quantitate nocenti sequentis, auget grauitatem peccati. Cum enim tunc ipsum quoque nocentum voluntati directè obiciatur; perinde ac aliud obiectum malum effundit suam malitiam in eiusdem voluntatis actum. Vel est quidem formaliter praeuisum, sed non nisi interpretatiue intentum: ut illud quod quis scienter infert fratribus per eas transeundo: non quidem studio eis nocendi, sed ut commodius aliquem ex infidiis adoriatur & fruidet. Atque tunc quoque nocenti quantitas auget peccatum: quatenus scilicet peccans, ex voluntatis inclinatione ad facinus meditatū, non omittit id facere unde nouit sequi tale nocentum. Vel denique nec praeuisum est nec intentum: & tunc si per se ex peccato sequatur (sicut scandalum pusillorum sequitur ex flagitio publicè commissio, etiam si committens nihil forè de tali damno cogitet) aggrauat ipsum peccatum: quia quaecumque per se consequuntur peccatum, censentur eadem, quā ipsum voluntate fieri, esseque volita in ipso rapquam in sua causa. Qua in re quatenus ignorantia excuset, discet ex tradendis in proximè sequenti lib. num. 75.

Si autem nocentum ex peccato sequatur tantummodo per accidens, scilicet perinde ac impactio in lapidem forè obuium, sequitur ex alicuius cursu, non aggrauat illud, etiam si homini propter negligentiam considerandi nocentia, quae poterant exactione sua sequi, in poenam imputentur mala ea, quae praeter intentionem ipsius eueniunt, cum operam dat rei illicitae: ut si emitrens incautè sagittam occidat hominem, efficitur irregularis. De quo dicemus in seq. lib. 30. tra. 2. cap. 10.

Iam si nocentum, quod ex peccato consequitur, infertur ipsi met peccati, vel illud neque praeuisum est neque intentum: vel praeuisum quidem, non tamen intentum. Atque si nec praeuisum nec intentum, ex peccato consequatur tantum per accidens, ut sit cum quis currens ad interficiendum alterum sibi forè frangit pedem, non aggrauat peccatum ipsum: sicut neque aggraueret si esset simili modo illatum alteri: si autem consequatur per se, sicut nocentum poenarum inferni consequitur ex quocumque peccato mortali, nec etiam aggrauat quia non ideo homicidium est peccatum grauius furto, quod illud grauiori poena quam hoc puniatur in inferno: sed potius quia homicidium est peccatum grauius, ideo grauiori poena in inferno puniatur: ita ut grauitas nocenti proueniat ex grauitate peccati: non autem hæc ex illa. Si verò

praeuisum quidem sit tale nocentum, non tamen intentum: tunc aggrauat peccatum cum per se ex eo sequitur quia quo maiores quis poenas contemnit, ut suam peruersam voluntatem impleat, eo sanè deprauatiore voluntate peccat. Unde peccata Christianorum scientium illa adiunctum habere reatum poenarum inferni, cæteris paribus grauiora sunt peccatis infidelium, quia id ignorant. Hæc ex D. Thome doctrina communiter recepta: quibus addendæ sunt aliquot obseruationes, secundum quas eadem intelligi accipique debent.

Prima est: nocentum quod quis peccando alteri infertur intendit formaliter, malitiam peccati auget etiam si ipsum non sequatur de facto ex huius perpetratiōe: quia illud, ratione cuius nocentum auget peccatum, non est absolute quod ex hoc illud sequatur actū: ut hinc patet; quia si quis prius fecit quod in se erat ut nocentum euitaret, & ipsum ex actione sua forè subsequatur, nulla accrescit malitia.

Secunda est: nocentum praeuisum censeri interpretatiue volitum, cum quis tenetur, & potest adhiberi sufficienti diligentia illud cauere, nec cauet: Censeri verò absolute non volitum: cum est inuincibiliter, vel probabiliter ignoratum: aut quando nulla omnino præcessit dabitandi ratio, aut notitia: qua induceretur animus ad existimandum tale ex tali actione libera secuturum; aut si ratio dubitandi præcessit, factà diligenti examinatione, adhuc rationibus probabilius apparuit non secuturum: aut certe si nocentum ipsum præcognitum est quidem, sed agens non tenetur omittere adionem suam (sicut Dominus noster non omisit suam ob mala secutura ex malitia Iudæorum) ne illud ex ea sequatur. Non tenetur autem quando actio ipsa est alioqui bona, aut saltem non mala; atque necessitas vel utilitas agendi permittit ut iure illo, quod habet eam exercendi. De qua permissione iudicandum est secundum doctrinam de obligatione ad Eleemosynam spiritualem, traditam in lib. 4. cap. 25. Porro quia peccatum abest, si desit voluntarium, certum est nocentum absolute non volitum, nihil ad peccatum conferte.

Tert' a est: ut nocentum tanquam per se consequens ex peccato, censetur ipsum aggrauare, non esse necessarium ut sit illius causa efficiens, id est, ex qua semper talis effectus necessariò sequatur: sed satis esse, ut causa sit sufficiens: sicut flagitium publicè perpetratum, causa est sufficiens scandalii, quia quantumcumque nemo ex tali perpetratiōe scandalizaretur; esset tamen peccatum cæteris paribus grauius ratione scandalii, cuius dandi fuit causa sufficiens, quam fuisse, si ipsum occultè commissum esset.

Quarta est: in iudicio de grauitate peccati ex nocentum quod ex ipso sequitur; rationem habendam esse, non tantum quantitas nocenti, sed etiam negligentiae commissæ in eo cauendo; ac modi quo illatum est: ad iudicandū scilicet de data aut non data sufficienti causa. Alter enim aggruari peccatum, quando ex eo tanquam ex causa sufficienti: & aliter cum tanquam ex causa non sufficienti, nocentum sequitur; argumento est, quod peccatum, etiam si tantum veniale sit, malum est maius quouis alio nocentum, ex communi Theologorum & Canonistarum sententia, teste Nauari. in Enchir. cap. 22. num. 51. vers. 4. Nec tamen alium induxisse ad venialiter peccandum, ut nec venialiter peccasse, aggrauet in infinitum: eum tamen nocentum decem numerorum aureorum aggrauet in infinitum. Cuius rei ratio est, quod ex cap. Non est 15. quest. 1. nemo possit esse causa sufficiens peccati alterius, cum quisque sua sponte peccet: posset autem esse causa sufficiens, ut alter iacturam faciat totum numerum aureorum.

Quinta est: nocentum quod per accidens ex peccato sequitur, si nec praeuisum nec intentum sit, sicut non imputatur ad culpam (quo nomine dictum est à D. Thoma non aggrauare peccatum) ita nec imputari ad poenam apud Deum: etiam si apud homines interdum iuste puniatur is à quo illatum est: quia sepe culpa in humano iudicio iuste præsumitur, quam diu aliud palam non probatur.

Postrema est: triplex cerni discrimen inter nocentum sibi, & nocentum alteri illatum. Primum est quod detur nocentum sibi illatum, consequens per se ex peccato,

cato, tanquam ex causa sufficienti, quod non potest facile à peccatore, prævideri: vt patet de penis inferni, quas infideles peccantes ignorant: nullum autem detur nocementum alteri illatum, quod ex peccato inferentis sequatur per se, tanquam ex causa sufficienti: quin simul possit cum peccato ipso facile prævideri.

Secundum discrimen est, quod cum vix quisquam soleat esse negligens in procurando commodo vel in fugiendo incommodo proprio, iuxta illud ad Ephes. 5. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam:] nocementum proprium censetur omnino euenire præ intentionem. Cū verò sæpe soleat homo negligens esse in cauendis alienis damnis, nocementum alienum censetur interpretatiue intentum. Tertium discrimen est, quod bonorum nostrorum, in quibus nobis ipsis nocemus, sæpe domini sumus; non item bonorum alterius, in quibus ei nocemus. Quæ discrimina occasionem dederunt D. Thomæ, diuersum statuendi de nocemento dato alteri, & de nocemento sibi ipsi illato: nimirum illud, etiam si præuisum non sit nec intentum, aggravare peccatum illud ex quo per se consequitur: illatum autem sibi, si nec præuisum nec intentum fuerit, non aggravare peccatum, ex quo per se consequitur.

38. Aduerte autem interdum hæc discrimina cessare: vt cum nocementum proprium potuit facile prævideri, interuenit que negligentia in eo cauendo, quæ solet in cauendo alieno: ipsumque illatum est in bonis quorum non sumus domini: nempe in vita, sanitate, aut id genus aliis. Quod quando contingit, tunc nocementum sibi, perinde ac alteri illatum etiam non præuisum, nec intentum aggravat peccatum illud, ex quo per se consequitur. Hinc enim gulosus comedendo cibos, ex quibus sanitati suæ plurimum nocementum adfert: & in dignitate constitutus committendo peccatum ex quo sequitur infamia ipsius, peccat grauius quam si talia nocementa non sequerentur peccata ipsorum: quia vterque eorum facile potuit tale detrimentum prævidere: & perinde neglexit cauere, ac si alteri inferendum fuerit: sibi que, non cuit in re cuius non erat dominus: si quidem sanitas & excellentia cui honor debetur sunt Dei dona, quibus homines non permittuntur abuti pro animi libidine.

Cæterum quod circumstantia quid, sit de illis quæ mutant speciem, ideo dici potest, quod peccato cuius est effectus, sæpe addat malitiam læsionis charitatis, & læpe etiam violationis iustitiæ.

CAPVT VI.

De circumstantia Vbi, seu loci.

SUMMARIUM.

39. Circumstantia loci, quædam est loci sacri, quædam loci publici, & quis dicatur locus sacer.

40. Ratio cognoscendi in dubio, num locus sit sacer, an profanus.

41. Cur circumstantia loci sacri, aggravet peccatum mutando speciem.

42. Quando contingat talis aggravatio.

43. Cum talis non contingit, non deest alia, saltem venialis.

44. De aggravatione peccati ex circumstantia loci iudicandum non esse ex causa, sed ex effectu, declaratur exemplo.

45. Aggravatio peccati ex circumstantia loci publici.

39. **L**ocus, sicut alia quæ actum humanum circumstant, aggravat peccatum secundum conditiones ipsius, ex quibus habet vt magis rectæ rationi repugnet, ipsum ibi quam alibi perpetratum esse: inter quas conditiones duæ præcipuè sunt, quæ aggravant mutando speciem. Altera est, quod locus sit sacer, ex cuius violatione sacrilegium nascitur; altera quod locus sit publicus, ex qua scandalum oritur.

De priori autem notandum est primò, per locum sacrum seu religiosum, ex Syluestro in verbo *Locus*, num. 6. significari illi qui auctoritate Papæ vel Episcopi, ad cultum diuinum deputatus est, iuxta illud quod habetur in cap. Ad hæc, De religiosis domibus: Religiosum locum esse, auctoritate Episcopi etiam ad vsum hospitalitatis, deputatum. Vnde argu-

mento à maiori infert Syluester, nomine locorum religiosorum comprehenduntur templum, sacella, monasteria, etiam, vt ille addit num. 8. nondum consecrata. & in quibus non solum sunt diuina mysteria celebrata; dummodo fuerint deputata diuino cultui, auctoritate Pontificis primarium lapidem per se, vel per alium imponentis: comprehendunt quoque cæmeteria, vt in præced. num. 2. expressit; & numero 3. Oratorium constitutum auctoritate Episcopi, perinde comprehendunt ac hospitale.

Quando vero dubium fuerit de Oratorio, vel hospitali, an sit locus sacer seu auctoritate Episcopi fundatus, idem auctoritate numero 4. & 5. admonet recurrendum esse ad præsumptiones ex circumstantiis talis loci: quarum alie possunt esse loci profani, & alie loci sacri. Illas autem ponit: esse Oratorium, vel habere Oratorium ædificatum in formam Ecclesiæ, in qua sit campanile erectum supra tectum: & campana, quæ ibi pulsetur cum celebratur: & altare in forma lapidea, hoc est, fixum: prout habere solent Ecclesiæ, & in quo publice celebratio fiat. Has verò ponit; non habere cæmeterium vel signum sepulture: institutionem illius, & dationem fieri per laicos, non requisita auctoritate Diæcesani: ex bonis illius, collectas solui communitati laicorum: regi per laicos: non habere campanile, vel campanam supra tectum. Itaque ex circumstantiis loci sacri, præsumitur locus sacer, & ex circumstantiis loci profani, præsumitur profanus. Quod si in idem concurrant aliquæ circumstantiæ loci sacri, & aliquæ loci profani, ex posterioribus ferendum est iudicium: vt hospitale, non debet ex eo solo censeri locus profanus, quod non habeat campanile supra tectum, vel habeat nomē alicuius laici, non alicuius Sancti: vel quod per laicos administraretur in temporalibus; si cum talibus, diuinum officium ibi horis constitutis fiat per Clericos, ac Missæ ordinariæ celebrentur. Hæc Syluester ex Archid. Aduerte autem obiter de monasterio, quod ista ratione sacri sit intelligi tantum quoad partes eius, quibus prædictæ conditiones loci sacri conueniunt: vt satis indicatum est à Nauar. in *Enchir. ca. 16. num. 3. sub finem*, cum resoluit peccatum in dormitorio illius commissum, non esse perinde sacrilegium, ac esset commissum in Ecclesia aut in cæmeterio.

Notandum est secundò: conditionem loci sacri propterea aggravare peccatum mutando speciem, quod peccare in loco sacro, specialem habeat repugnantiam cum recta ratione dictante, loca sacra non esse contaminanda, sed cultu debito prosequenda. Cum enim ex primo Decalogi præcepto debeamus vnum Deum colere; consequenter debemus & loca ei dicata, iuxta illud Matthæi 23. quicumque intraverit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso.] & cap. 21. Dominus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.]

Notandum est tertio, quod ex Caiet. a 11. 2. & tom. 1. o. pusc. ille quest. 7. art. 1. & hic tract. 31. respon. 1. 2. admittit Nauar. ad princip. cap. Consideret. De penis distinct. 5. num. 26. non omnia peccata in loco sacro commissa inducere nouam speciem ex circumstantia loci: sed solum ea quæ directe opponuntur sanctitati aut immunitati eius, ad quod locus est sanctificatus aut factus immunitis: nempe, vt ipse Caiet. interpretatur, quæ sunt contra sepulcrum, vel contra diuinum cultum, vel contra libertatem confugientium ad illum atque depositarum ibi rerum; sicut censetur esse, tum criminosa humani sanguinis vel humani seminis effusio; tum fornicatio, tum sepultura excommunicati non tolerati, aut tati lellis: quibus læet locus, prout Nauar. explicat in *Enchir. cap. 27. num. 251. & seq.* polluitur: & consequenter cultus diuinus, ad quem deputatus fuit impeditur: ex cap. Ecclesiis, De consec. distinct. 1. & cap. Proposuit De consec. Ecclesiæ: & cap. vnico eod. titul. in 6.

Censentur præterea, tum fornicatio, tum vltus, & secularium iudiciorum strepitus: in cap. Decet De immunitate Ecclesiarum in 6. ibi fieri seuerè prohibiti; tum etiam mercatus alique profana clamorosa, quæ de se impediunt cultum diuinum. Censetur quoque furum in tali loco commissum, non modo rei sacræ: sed etiam non sacræ ex cap. Quisquis 17. quest. 4. Quod intellige, dummodo securitatis causâ ibi deposita sit, vt tuta esset ob reuerentiâ loci sacri, cui Deus præsidet. Nam si non ob eam causam sit ibi posita,

non